Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quod provincie synodus suo iudicio terminavit. Hec itaque regula est. Quia vero plurimi episcoporum ex aliis civitatibus ad alias propter utilitates temporum sunt migrati, eorum nomina qui sunt mutati subdidimus. Perigenis in Patris ordinatus episcopus. Et quoniam cives eius eum suscipere noluerunt, romane civitatis episcopus iussit eum intronizare in Corintho metropoli, defuncto eius episcopo. Eique donec advixit ecclesie prefuit. Gregorius Nazanzenus prius cappadocene civitatis episcopus, deinde Naziazo constitutus est. Meletius prius in sebastena ecclesia prefuit, et postea Antiochie presul est constitutus. Dositheum Seleucie episcopum Alexander Anthiocenus episcopus in Tharsum Cilicie demigravit. Reverentius ab Archis Phenicie in Tyrum migratus est. Iohannes de Gordo Lidie mutatus est in Proconissum, et in ea presedit ecclesia. Palladius ab Hermopoli mutatus est in Asbonam. Alexander ab Herinopoli in Adrianos mutatus est. Theosebius ab Apamia Asye transfertur in Eudoxiopolim, que dudum Salabria vocabatur. Policarpus de urbe Anta prestena Misie in Nocopoli Tracie mutatus est. Hierophilus de Trapezapoli Frigie migratus est in Plutinopoli Tracie. Optimus ab Agar Damia Phrigie in Antiochiam Psidie migratur. Silvanus a Philippopoli Tracie mutatus est in Troadam. Tantos quoque quantos ad presens invenimus ex propriis civitatibus ad alias migrasse nos memorasse sufficiat. De Silvano tamen qui ex Philippoleos Tracie in Troadam migratus est, utile iudico pauca narrare. Sil-

vanus quidem rethor fuit prius Troili sophiste, et ad perfectum christianus vitamque monachicam diligens. Is enim doctoris pallio uti despexit. Quem post hec Atticus episcopus comprehendens, episcopum Philippoleos ordinavit. At ille tribus annis in Tracia degens, nec frigora ferre valens, cum haberet corpus valde debile atque subtile, rogavit Atticum ut eum in locum alium constitueret, dicens non ob aliam causam nisi propter frigus ea se loca vitare. Cumque alter pro eo fuisset ordinatus, mansit Silvanus Constantinopoli, vitam monachicam perfecte custodiens. Tantumque fuit sine ulla arrogantia ut plerumque in tanta multitudine civitatis cum solus de spartu procederet. Quodam vero tempore pereunte Troadense presul ecclesie moritur. Troianique venerunt petentes episcopum. Cumque cogitaret Atticus quem ordinare deberet, subito contigit eum salutandum venire Silvanum. At ille videns eum mox cogitare cessavit. Tunc ad Silvanum. Non habes inquit ulterius occasionem per qua ecclesiasticas curas possis effugere. Troia namque ~~namque~~ non habet frigus. Sed ecce apparatus est corpori tuo oportunus locus. Prepara ergo temet ipsum, et ad Troiam continuo proficiscere. Migratur ergo Silvanus. Quo facto miraculum quod inter manus eius accesserit enarrabo. Navis maxima que grandes columnas evexit, nuper in littore Troiano fabricabatur. Cumque eam ad mare ducere voluissent, multis funibus atque populo trahente nullatenus movebatur. Quod dum